

dedit cl. Steven, vix nisi partium floralium magnitudine majori est distinguenda.

196. L. hastilis L.

Ex toto glaberrimam legi in Transsilvaniae valle subalpina Hodák inter et Remete, in m. Kereszthegy.

197. Scorzonera taurica M.B.

In campestribus elatioribus („Heuwiesen“) pr. Klausenburg leg. Wolff a. 1854.

198. Podospermum canum C. A. Mey.

In campis pr. Karlsburg; in reg. Mezőség pr. Szék frequens.

199. Crepis sibirica L.

In Transsilvaniae subalpinis pr. Rodna detexit cl. Dr. Joo!

200. C. Fussii Kováts! in sched. 1843. *Hieracium transsilvanicum* Heuff.! Enum. pl. banat. Temes. p. 115 *H. eriophyllum* Schur Sertum fl. Transsilv.? (solum nomen). *H. arcticum* Schur in Verhandl. n. Mittheil. d. siebenb. Vereins f. Naturw. X. (1859) p. 126? *H. oblongifolium* Schur! pl. Transsilv. exsicc.

Rhizoma horizontale, praemorsum, dense fibrosum. Folia basilaria 1 — 2 l. rosulata; omnia oblonga, elliptica vel spathulata apice subacutata, in petiolum lamina nunc aequilongum nunc breviorum sensim sensimque attenuata, integerrima vel remotissime obsoleteque repandula, vel obtusissime remote repando-dentata. Caulis, vel quandoque plures eadem ex foliorum rosula, erectus, semi—sesquipedalis, folia fert 1 ad 3, semper basi attenuata, basilaribus conformia, tamen brevius petiolata l. omnino sessilia. Inflorescentia subcymoso-paniculata, vel simplicissima, nunc valde luxurians, nunc pauciflora; — immo monocephala in speciminibus parvis. Periclinia cylindracea, gracilia, laete virentia, subglabra, eglan-

dulosa. — Herbae pars inferior i. e. folia subtus marginibusque, praesertim vero petioli pilis longis dense villosi. Villus plerumque rufescens.

Hab. in Transsilvaniae carpaticae regione Fagi atque abietina; e. g. in alpidibus Rodnensibus; in montis Keresztheygy versus Moldaviam muscosis humidis defloratam legi exeunte Septembri 1858.

Ab *Hieracio vulgato* Fries, quocum facile confunditur, distinctissima.

201. *Crepis praemorsa* Tausch. — Pr. pag. Gáncs Transsilvaniae septentrionalis totam glaberrimam legit cl. Czetz!

202. *Hieracium Pavichii* Heuff.! *H. Fussianum* Schur!

Hab. in Transsilvaniae montibus schistosis pr. Hermannstadt.

H. piloselloides Vill. proximum; sed caulis, magis etiam foliosus, a medio plerumque, vel infra medium jam in ramos divisus, inflorescentia laxior, magis expansa. Planta semper estolonifera.

203. *H. murorum* L.

In Transsilvaniae centralis territor. Mezöség rarissimum, solumque in silva pr. Mohaj a. 1858 mihi obvium.

204. *H. boreale* Fr.

In territor. Mezöség silvis haud rarum.

205. *H. umbellatum* L.

In dit. Mezöség frequens.

206. *Phyteuma spicatum* Baumg. Enum. stirp. Transsily.

Pr. Klausenburg frequens; in dit. Mezöség silvaticis versus Szék etc.

In planta ex variis Transsilvaniae locis semper calyces 4-fidos, corollas 4-partitas, stamina 4 vidi.